

DISTINCTIO III

Facilis ac aperta divisio huius distinctionis, in qua Magister Divinae essentiae unitatem divinarumque personarum trinitatem catholicis rationibus et congruis similitudinibus nititur persuadere.

APOSTOLUS NAMQUE etc. Postquam Magister probavit divinae essentiae unitatem et personarum trinitatem ex auctoritatibus Scripturae. Hic probat hoc idem ex similitudine creaturae. Et dividitur in duas partes, quia primo Magister probat divinae essentiae unitatem et personarum trinitatem rationibus universalibus acceptis ex creaturis. Secundo facit hoc specialiter ex imagine Dei fundata in essentia animae rationalis ibi: *nunc vero ad eam* etc. Prima in duas, quia primo ex naturalibus rationibus ostendit divinae essentiae unitatem. Secundo ex vestigio creatoris reperto in creaturis ostendit personarum divinarum trinitatem ibi: *nunc restat ostendere*. Prima dividitur in quattuor, secundum quod Magister adducit quattuor rationes probantes Dei unitatem. Quarum prima sumitur ex creaturae magnitudine et quantitate. Secunda ex creaturae mutabilitate. Tertia ex creaturae bonitate. Quarta ex creaturae speciositate. Secunda ibi: *aliam etiam modo* etc. Tertia ibi: *consideraverunt* etc. Quarta ibi: *intellegerunt* etc. Tunc sequitur illa pars: *Nunc restat ostendere* etc. Et dividitur in tres partes. Quia primo ostendit Magister quomodo vestigium creatoris creaturis imprimitur. Secundo, quomodo ex huiusmodi vestigio trinitas creatoris cognoscitur. Tertio, quomodo huiusmodi cognitio est valde imperfecta, nisi pro quanto catholica fide perficitur. Secunda ibi: *in illa enim summa trinitate* etc. Tertia ibi: *ecce ostensum est qualiter* etc. Hic quaero hanc quaestionem.

Quaestio I

An notitia Dei, qua ipse esse cognoscitur, sit humano intellectui naturaliter inserta?

Quidditatem Dei ex puris naturalibus in via, neque intuitive, neque abstractive cognoscere valemus, licet haec propositio Deus est, sapientibus dumtaxat sit per se nota. Cum tamen per vestigium quoad appropriate Deus optime a nobis cognoscatur.

UTRUM NOTITIA, qua Deus esse cognoscitur, sit humano intellectui naturaliter inserta? Et videtur quod non, quia illud, quod per alterum cognoscitur, non est naturaliter insertum intellectui. Sed Deus cognoscitur per creaturas, iuxta illud ad Apostoli, *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt* etc. CONTRA. Propositio per se nota, quo ad sui notitiam est humano intellectui naturaliter inserta, sed haec propositio, *Deus est*, est per se nota, eo quod praedicatum sit de ratione subiecti, ergo etc. In ista quaestione quattuor sunt videnda. Primo, utrum in via possimus cognoscere Deum esse. Secundo, utrum possimus cognoscere quid est Deus. Tertio, utrum Deum esse sit per se notum. Quarto, quid sit vestigium de quo tractat Magister in littera et qualiter Deus cognoscitur per vestigium.

QUANTUM AD PRIMUM dicendum est quod sic. Illud enim non solum patet per theologos verum etiam quasi per omnes mundanos philosophos. *Deum enim esse primum motorem* pulchre deduxit Aristoteles 8 Physicorum¹. *Deum esse ultimum finem* probavit 12

¹ Tex. c. 44

Metaphysicae² *Deum esse purum actum*, ibidem. Et in multis aliis locis philosophiae sufficienter probantur huiusmodi propositiones quae Deum esse necessario praesupponunt. Propter quod ait Augustinus 15 De Trinitate³: Neque enim divinorum librorum tantummodo auctoritas esse Deum praedicat, sed et omnis, quae nos circumstat, ad quam etiam nos pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat habere praestantissimum conditorem.

QUANTUM AD SECUNDUM dicendum, quod quidditatem Dei ex nostris naturalibus cognoscere non possumus, quia vel talis cognitio esset intuitiva, vel abstractiva. Primam habere non possumus, quia cum sit beatifica, sequitur quod ex puris naturalibus beatitudinem attingere possemus. Nec abstractiva potest haberi, ut superius probavi in prologo quaestione 3 articulo 1, ergo etc. 2. Praeterea, nullus effectus creatus ducit in cognitionem quidditatis causae infinitae. Sed quidditas divina est causa infinita, et omnis effectus creatus est finitus, cum ergo non possumus Deum in via cognoscere, nisi per effectus, ergo etc. Maiorem probo, quia effectus ducens in cognitionem quidditativam suae causae oportet quod debitam proportionem habeat ad talem causam, sed finiti ad infinitum nulla est proportio 8 Physicorum.⁴ 3. Praeterea, illud quod non possumus diffinire, illud quidditative non possumus cognoscere. Sed Deum non possumus diffinire, quia omne, quod diffinitive scitur secundum Augustinum 12 De civitate Dei,⁵ scientis scientia comprehenditur. 4. Praeterea, perfecta Dei notitia in via haberi non potest, sed cognitio quidditativa est cognitio perfecta, ergo etc. 5. Praeterea, illud quod nec directe cadit sub phantasmate nec aliquam necessariam habet connexionem, vel habitudinem cum eo, quod cadit sub phantasmate, illius quidditas non potest cognosci a viatore. Deus est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia intelligere nostrum, vel est phantasia, vel non est sine phantasia, et oportet intelligentem phantasmata speculari, ut patet 1 et 3 De anima.⁶ 6. Praeterea, 2 Metaphysicae⁷ dicitur, *sicut se habet oculus noctuae ad lumen solis, sic animae nostrae intellectus ad ea, quae sunt manifestissima in natura*. Et Damascenus libro I ait, quod *Deum cognoscere quid sit, impossibile est nobis*. CONTRA ISTAM veritatem aliqui antiqui philosophi fuerunt et pro ipsis potest argui sic. Illa notitia est huiusmodi possibilis ex suis naturalibus, ad quam habendam naturale habet desiderium. Sed ad cognoscendum Deum homo naturale habet desiderium, ergo etc. Maior patet, quia naturale desiderium non est ad aliquid impossibile. Probatur minor, quia viso quocunque effectui, naturaliter desideramus scire causam illius effectus, ergo naturali desiderio quiescere non possumus donec ad primam causam, quae Deus est deveniamus. Et ista etiam videtur esse intentio Augustini in libro Confessionum cum ait⁸: *Fecisti nos, Domine, ad te et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. 2. Praeterea, si quidditatem Dei scire non possumus, tunc nihil de Deo scire poterimus. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Falsitas autem consequentis est nota, quia, sicut patuit in primo articulo, nos cognoscimus Deum esse. Consequentia patet, quia ens simplicissimum non habens partem et partem, vel [102b] * cognoscitur totaliter vel penitus ignoratur, sed Deus est ens simplicissimum. 3. Praeterea, illud quidditative cognoscimus, cuius praedicatum essenziale commune, in quo convenit cum aliis cognoscimus et cum hoc differentiam sufficienter distinctivam sui ab omnibus aliis. Sed nos cognoscimus ductu naturalis rationis, Deum essentialiter esse substantiam, in quo praedicato convenit cum aliis et cognoscimus ipsum esse purum actum et summum bonum, sive ultimum finem, in quibus praedicatis differt ab omnibus aliis, ergo etc. Maior patet, quia talis notitia videtur esse diffinitiva et per consequens quidditativa. Minor

² Tex. c. 39

³ Cap. 4 tom 3

⁴ Tex. c. 15

⁵ Cap. 18 tom. 8

⁶ Tex. c. 12 et c. 30

⁷ Tex. c. 1

⁸ Lib. 1 cap. 1 tom. 1

similiter patet, quia omne quod est, aut est substantia, aut accidens. Sed Deus non est accidens, quod autem sit purus actus et ultimus finis, patet 12 Metaphysicae.⁹ 4. Praeterea, secundum Augustinum,¹⁰ in visa diligere possumus, incognita nequaquam. Sed nos diligimus divinam bonitatem, quae est idem, quod divina quidditas et essentia, ergo aliquo modo cognoscimus divinam essentiam. Unde ait Augustinus in epistola De orando Deum: *Si omnino quid est Deus nesciremus, non eum amaremus*. 5. Praeterea, ubi esse et essentia sunt idem realiter, ibi non potest sciri si est, nisi cognoscatur quid est. Sed in Deo esse et essentia sunt omnino idem realiter et ipsum scimus esse, ergo etc. 6. Praeterea, non possumus propriam passionem alicuius naturae cognoscere, nisi cognoscamus illam naturam. Sed nos cognoscimus propriam passionem naturae divinae, puta scimus Deum esse immensum et infinitum, ergo cognoscimus naturam divinam. SED ISTA non concludunt, quia, licet naturaliter possimus cognoscere quia Deus est, tamen quid est proprie loquendo cognoscere non possumus, iuxta illud Damasasceni libro 1, quoniam ergo Deus est, manifestum est quid vero est incomprehensibile est et omnino ignotum. Ad primum ergo dicendum, quod maior cum sua probatione non potest negari; quia naturaliter nos desideramus non moti, quod patet, quia aequali necessitate desideramus fugam mali nocivi et prosecutionem boni proficui. Sed naturaliter unumquodque appetit esse et non potest appetere non esse, ut patuit superius per Augustinum, et tamen impossibile est rem corruptibilem non corrumpi quantum est ex parte sui. Ad secundum nego consequentiam. Ad probationem dicendum quod eo ipso, quod simplex non habet partes, non potest cognosci secundum aliquid sui, quin illo modo cognitionis totum cognoscatur et ideo bene concedo, quod quicumque cognoscit Deum esse quia est, quod illo modo cognitionis totum Deum cognoscat et non partem sui; et similiter in patria, qui Deum cognoscit quidditative, cognoscit totam quidditatem Dei. Ex illa tamen propositione non concluditur quod qui cognoscit Deum uno modo cognitionis quod ipsum cognoscat omni modo cognitionis. Ad tertium dicendum quod maior est vera, si cognoscimus illud praedicatum commune et illud praedicatum speciale perfecte et quidditative. Ad minorem dicendum quod, licet naturaliter possim cognoscere hoc, quod importatur nominibus, talium praedicatorum inesse ei, quod significatur nomine istius subiecti, quod est Deus; non tamen cognosco quidditative substantiam quae de Deo praedicatur, vel purum actum, qui est Deus vel summum bonum, sive ultimum finem. Sed arguitur per creaturas deducendo significata talium praedicatorum, cognosco esse cognitione quia est. FORTE DICES illud cognoscitur cognitione quid est, quod convenienter respondetur ad interrogationem factam per quod et per consequens, etiam illud cognoscitur cognitione quid est, de quo convenienter respondemus ad interrogationem factam per quid. Sed, si quaeritur quid sit Deus, convenienter respondentur praedicta et consimilia praedicata. RESPONDEO quod non est necesse, propter convenientiam talium responsionum de subiecto, vel praedicatis, scire, vel cognoscere quid rei, sed sufficit cognoscere quid nominis sive quid significetur talibus nominibus, quia aequae convenientes possunt esse huiusmodi responsiones in terminis nul-[103a]-lam quidditatem realem significantibus, sicut in terminis supradictis, puta si quaeritur quid est chimaera, convenienter respondetur non ens, sive nihil, vel figmentum. Ad quartum dicendum quod, quamvis cognoscimus Deum in via, solum cognitione quia est, debemus tamen cum summe diligere, quia ex creaturis investigare possumus eum esse summum bonum et ultimum finem. Ad formam etiam argumenti dicendum quod bonitas Dei non est nobis incognita, quia ex effectibus cognoscimus eam cognitione quia est, et eodem modo quidditatem eius, quae est idem quod bonitas cognoscimus cognitione quia est, quamvis non cognoscamus eam cognitione quid, vel propter quid, loquendo de quid rei. Ad dictum Augustini dicendum quod nos aliquo modo scimus quid est Deus, quia scimus quod nomine Dei importatur res quae est summe amabilis et illud sufficit ad hoc ut Deum diligamus. Ad quintum dicendum quod, quamvis sciamus Deum esse, non propter hoc scimus esse Dei in se et quidditative. Ad hoc

⁹ Tex. c. 37

¹⁰ 10. De Trinitate, cap. 1, tom. 3

enim quod sciamus Deum esse, sufficit quod scimus hoc, quod importatur nomine praedicati necessario convenire ei, quod importatur nomine subiecti. Maior ergo propositio non est vera. Non enim sequitur, scio Deum esse, ergo scio esse Dei, sed bene sequitur, ergo scio esse Dei esse et eodem modo sequitur, scio quidditatem Dei esse. Ad sextum dicendum quod minor non est vera. Ad probationem dico quod, dato quod immensitas esset propria passio Dei, non sequitur, scio Deum esse immensum, ergo scio Dei immensitatem quamvis bene sequitur, ergo scio immensitatem Dei esse. Non ergo concluditur quod cognoscimus Dei passionem, licet posset concludi quod sciamus passionem Dei esse.

QUANTUM AD TERTIUM principale dicendum quod secundum Boethium in libro de Hebdomadibus propositionem esse per se notam, dupliciter potest intelligi. Uno modo communiter omnibus. Alio modo solum sapientibus. Exemplum ponit de primo sicut omne totum est maius sua parte. Exemplum de secundo, sicut incorporalia non esse in loco. His praemissis dico quod haec propositio, Deus est, per se nota est sapientibus, quamvis non communiter et indifferenter, sive vulgariter omnibus, quia illa propositio est per se nota ad minus sapientibus, cuius praedicatum est de essentia subiecti. Sed esse est idem quod essentia Dei, ergo etc. 2. Praeterea, illud est per se notum esse, quod non potest cogitari non esse, quia ut patet 4 Metaphysicae¹¹ illa propositio est per se nota, quae mente directe negari non potest, vel quam nullus potest negare. Sed nullus potest concipere Deum non esse, nisi valde sit insipiens, quia nihil a sapiente potest concipi cum opposito illius quod est de sua formali ratione. Sed esse Dei est de sua formali et intrinseca ratione, ergo etc. 4. Praeterea, illa propositio est per se nota, cui quilibet sanae mentis assentit immediate sola praesupposita notitia terminorum quantum ad ea, quae per terminorum vocabula importatur. Sed talis est haec propositio, Deus est, ergo etc. Maior patet de se et minor patet per Anselmi Proslogion.¹² Dixi autem in praecedenti ratione directe et in ista dixi praesupposita notitia terminorum, quia indirecte etiam primum principium negavit ille Heraclitus, ut patet 4 Metaphysicae.¹³ Etiam non cognito quid per terminos importatur, omne principium negari potest. 4. Praeterea, illa propositio est per se nota in qua praedicatum sic se habet ad subiectum, quod habita significatione praedicati et subiecti statim cognoscitur inexistencia praedicati in subiecto. Ista, in qua esse praedicatur de Deo, est huiusmodi, ergo etc. 5. Praeterea, aliquae veritates secundae sunt per se notae, ergo et veritas prima. Consequentia patet, quia ignota causa necesse est effectum ignorare. Sed veritas prima, quae Deus est, est causa omnis veritatis secundae, iuxta illud Averrois 2 Metaphysicae.¹⁴ Est enim quoddam ens per se ens, et per se verum, entitate et veritate cuius omnia alia sunt entia et vera. Sed veritas prima non [103b] * potest esse per se nota, quantum ad cognitionem quidditativam et essentialem, ergo erit per se nota quantum ad esse, sive existentiam. FORTE HERACLITUS negaret antecedens, quia diceret nulla veritatem esse per se notam. SED ILLUD nihil est, quia illud est per se notum esse, quod dum negatur necessario affirmatur. Sed veritas est huiusmodi, ergo etc. Probatio assumptae. Quia negans veritatem aut reputat se false negare, et tunc mente ponit veritatem, vel reputat se vere negare, et tunc iterum poneret veritatem, quia cum nihil possit esse verum sine veritate, talis negatio non posset esse vera, nisi veritas esse supponatur. Ista ergo veritas vel est veritas prima, et tunc habeo propositum vel est veritas secunda, tunc, quia omnis veritas secunda praesupponit primam, necessario sequitur idem, quod primo. 6. Praeterea, id, cuius notitia est naturaliter intellectui inserta, est per se notum, Deum esse est huiusmodi, ut ait Damascenus libro 1¹⁵ 7. Praeterea, ista non est minus per se nota, Deus est, quam ista incorporalia non sunt in loco. Sed secunda est per se nota, ut vult Boethius

¹¹ Elicitive ex tex. c. 8 et 9

¹² Proslogion, cap. 4

¹³ Tex. c. 22

¹⁴ Com. 4

¹⁵ Cap. 3

in libro de Hebdomadibus, ubi ait: *Communis animi conceptio est, incorporalia in loco non esse, ergo Deum esse erit communis animi conceptio*. SED CONTRA istam conclusionem videntur aliqui esse, praemittentes tamen hanc distinctionem, quod propositionem esse per se notam potest intelligi dupliciter. Uno modo secundum se, et sic propositio est per se nota, cuius praedicatum est de ratione subiecti. Alio modo, quoad nos et sic non sufficit praedicatum esse de ratione subiecti, sed oportet nos scire quid est subiecti, per cuius notitiam cognoscere possumus necessariam connexionem et inhaerentiam predicati cum subiecto. Et quia licet in hac propositione, Deus est, praedicatum sit de ratione subiecti, tamen quid est subiecti in via scire non possumus. Ideo dicunt quod ista propositio est per se nota primo modo, non autem secundo modo. Et hanc conclusionem tam ipsi, quam sequaces eorum multipliciter probant. Primo sic. Illa propositio non est per se nota quoad nos, cuius subiecti quidditatem non cognoscunt nec omnes nec etiam ipsi sapientes. Sed quidditas subiecti istius propositionis, Deus est, est omnibus ignota, ergo etc. 2. Praeterea, id quod demonstratur, non est per se notum, sed Deum esse demonstratur, * ut patet 8 Physicorum¹⁶ et 12 Metaphysice¹⁷ et in multis aliis locis philosophiae. 3. Praeterea, notitia terminorum propositionis per se notae immediate offert se intellectui, sed tam philosophi quam doctores moderni multum laboraverunt circa notitiam terminorum praedictae propositionis, ergo non est per se nota. 4. Praeterea, quod est creditum non est per se notum, Deum esse est creditum iuxta illud Augustini libro 2 De libero arbitrio¹⁸, quod scitur de Deo in praesenti, non est scientia contemplatum, sed fide creditum. 5. Praeterea, illa propositio non est per se nota quoad nos, in qua cognitis terminis quantum ad illud, quod circa tales terminos primo occurrit intellectui, non statim apparet necessaria connexio terminorum. Sed propositio praedicta est huiusmodi, quia dato quod circa hunc terminum Deus primum apparens intellectui sit, quod ipse sit prima causa, vel primum principium, adhuc non apparet immediate quod talis res habeat esse in rerum natura, quia multi posuerunt processum in infinitum in causis et causatis. Multi etiam posuerunt circulationem causarum, quorum, quocunque dato, non est necesse esse aliquod primum principium. 6. Praeterea, propositio, cuius subiectum non potest concipi uno simplici conceptu, non est per se nota, donec cognoscantur partes illius conceptus esse compossibiles. Sed Deus, qui est subiectum praedictae propositionis, non potest a viatore concipi uno simplici conceptu, viator enim non potest concipere Deum, nisi concipiat ipsum vel per modum actus puri, vel entis infiniti, vel ultimi finis, vel per modum alicuius alterius de consimilibus. Sed quod istae partes sint compossibiles, puta, purus actus, vel infinita enti-[104a]-tas etc. non est per se notum. Multi enim dubitaverunt an sit aliquod ens infinitum, ergo nec ipsa propositio erit per se nota. Maior patet 5 Metaphysicae¹⁹ ubi dicitur quod enim in se falsum est de nullo potest esse verum, nec aliquid de eo. 7. Praeterea, Avicenna I Metaphysicae suae dicit, *Deum esse, non est per se notum*. SED ISTE MODUS mihi non placet, quia nullus potest vere et scienter affirmare aliquam propositionem esse per se notam, nisi ipse sciat eam esse per se notam, nescientis enim signum est affirmare hoc, quod non scit. Sed iste doctor dicit et affirmat praedictam propositionem esse per se notam secundum se, et hoc in primo membro suae distinctionis, ergo vel affirmat quod nescit, vel scit eam esse per se notam, et per consequens quoad nos erit per se nota, quod contradicit secundo membro suae distinctionis. Et ideo, nisi aliud mihi occurreret, illam distinctionem non reputo esse veram, quia primum membrum secundo videtur contradicere. AD PRIMUM ergo dicendum quod maior non est vera quia si in omni per se nota propositione oporteret nos scire quidditatem realem subiecti, ita quod non sufficeret scire quid nominis, tunc nulla scientia procederet ex per se notis. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Probo consequentiam, quia propositiones per se notae ex quibus procedit et in quas

¹⁶ Tex. c. 44

¹⁷ Tex. c. 39

¹⁸ Cap. 2 tom. 1

¹⁹ Tex. c. 34

resolvitur ultimate scientia, fundantur immediate super obiecto scientiae. De subiecto autem scientiae in talibus primis propositionibus cognoscimus solum quid nominis, quia quid rei inquiritur in scientia et declaratur, patet ergo, quod ad propositionem per se notam sufficit habere notitiam terminorum, quantum ad quid nominis. FORTE DICES, si scire quid nominis sufficit ad propositionem per se notam, tunc ex terminis figmentorum posset fieri propositio per se nota. RESPONDEO, quod hoc non habeo pro inconvenienti, quia haec est per se nota, chimaera est nihil, vel chimaera est figmentum. Nam cognito quid importetur per nomen chimaerae, quilibet huiusmodi propositionem concedit. Ad secundum dicendum quod minor non est vera, quia in omnibus illis demonstrationibus, semper praesupponitur, Deum esse, et aliquid aliud, quam esse sibi convenire probatur, puta 8 Physicorum²⁰, quod sit primus motor immobilis, 2 Metaphysicae²¹ quod sit prima causa, 12 Metaphysicae²² quod sit purus actus, vel ultimus finis, et sic de aliis. Ad tertium dicendum quod notitia terminorum propositionis per se notae se offert intellectui eorum, quibus est per se nota. Ad minorem dico quod istorum terminorum notitia se offert intellectui sapientum, quia illis est per se nota. Quod autem philosophi et doctores in tali materia laboraverunt et adhuc laborant, hoc non fecerunt neque faciunt ad cognoscendum quid nominis, vel ad habendam solam notitiam terminorum. Sed hoc faciunt ad indagandas varias subtilitates circa entitatem et veritatem significatam per terminos. Ad quartum dicendum quod, sicut illud, quod est demonstratum apud sapientes, potest esse solummodo creditum apud rudes demonstrationem non capientes, sicut Deum esse unum, erat creditum apud iudeos, iuxta quod ait rabi Moyses super illo verbo Deuteronomi: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est*. Deum esse unum ex lege habetur, erat tamen demonstratum apud subtiles philosophos, sic illud, quod est per se notum apud sapientes, potest esse creditum apud vulgares communes. Nec illa auctoritas Augustini est ad propositum, quia ibi Augustinus loquitur de Deo secundum personarum trinitatem, et ut est remunerator animarum sanctarum. Ad quintum dicendum quod maior est vera, si illa, quae dicis intellectui primo occurrere, circa tales terminos immediatius et prius respiciunt ipsos terminos, quam termini mutuo respiciant seipsos. Sed sic non est in proposito, nihil enim prius et immediatius respicit hoc subiectum Deus, quam hoc praedicatum esse, sive enim dicatur primum principium, sive ultimus finis, [104b] * seu quicquid aliud volueris, omnia talia praesupponunt hoc praedicatum, quod est esse. Et ideo ista propositio est per se nota, quamvis aliae sint demonstrabiles. Potest etiam dici ad maiorem quod vera est, si connexio terminorum non apparet sapienti. Et tunc ad minorem per interemptionem. Ad sextum nego minorem. Quia, si Deus non posset concipi absolute sine talibus praedicatis, tunc conceptus partis esset compositior conceptu totius, puta conceptus solius subiecti esset compositior conceptu totius propositionis. Planum est enim quod conceptus, in quo hoc verbum est praedicatur tertio adiacens, est compositior conceptu, in quo praedicatur secundo adiacens. Sed in conceptu solius subiecti praedicaretur secundum dictum istorum tertio adiacens, puta dicendo Deus est primum principium et consimilia. Et in conceptu totius propositionis praedicaretur secundo adiacens, dicendo, Deus est, ergo etc. Ad septimum dicendum, quod Avicenna non negat illum propositionem esse per se notam quantum ad sapientes, sed quantum ad communes vulgares. EST ETIAM alius doctor²³, qui non curans supradictam distinctionem, quam ex dictis adduxi Boethii, dicit praedictam propositionem absolute et simpliciter, non solum apud sapientes, sed etiam apud omnes esse per se notam. Quod probat primo sic. Illud videtur cuilibet intellectui naturale, circa quod non est videri et non videri, sed conceditur apud omnes, sicut ait Philosophus 5 Ethicorum²⁴, *quod ius naturale non consistit in videri et non videri, sed habet ubique potestatem eandem*. Sed constat quod

²⁰ Tex. c. 44

²¹ Tex. c. 6

²² Tex. c. 39

²³ Aureolus

²⁴ Cap. 11

omnes gente et omnis lingua et omnis natio, quae unquam fuit, est, vel erit, imaginatur aliquem sibi Deum, ergo aliquem Deum esse, est per se notum. 2. Praeterea, duarum propositionum, quarum una includit aliam et praesupponit eam, si includens est per se nota, et inclusa erit per se nota. Sed ista propositio, Deus est venerandus, includit istam, Deus est, et est per se nota, cum sit communis animi conception, quia de lege naturae est, ut Deo sacrificetur, ut ait Commentator, 5 Ethicorum, quod *autem tali, vel tali Deo sacrificetur positivum est, ideo communis animi conceptio omnium hominum est, quod Deus sit*. 3. Praeterea, quaestio quid est praesupponit notum esse, si est, ut patet 2 Posteriorum. Sed omnes sectae de mundo inquirunt quid est Deus, ergo omnes praesupponunt quod Deus sit. SED NEC ISTE modus mihi placet, quia illud non est per se notum esse, quod experimentaliter percipitur de die in diem transire in non esse. Sed multi idolatrae videbant sensibilibus Deos suos corrumpi et quotidie alterari, et in non esse transire. Minor patet ex multis sanctorum legendis, patet etiam Sapientiae 13 et Isaiae 40, ubi ostenduntur tales Dii necessario esse corruptibiles. Maiorem probo, quia illud non est per se notum esse, quod verisimiliter potest aestimari non esse. Sed omne corruptibile, dum non actu sentitur potest verisimiliter aestimari non esse, cum dinoscatur in se habere causam suae corruptionis omni hora possibilem deduci in effectum corruptionis, ergo nihil talium est per se notum esse, sed magis per contrarium per se notum est, ipsum talem Deum idolatrarum transire quandoque in non esse. 2. Item aliqui gentiles dicuntur qualibet die adorare tanquam suum Deum primum animal, quod sibi occurrit die illa, cum ergo eadem die possibile sit mori animal illud, qua die ipsum Deum suum reputabant. Ideo patet quod apud tales gentes, Deum esse, non est per se notum, cum illum, quod putat Deum, videant coram oculis suis evanescere et transire in non esse. AD PRIMUM ERGO dicendum quod dato quod omnis gens vel natio cogitet sibi Deum, non oportet tamen quod reputet sibi per se notum talem Deum esse, cum ipsum videant necessario transire in non esse. Exemplum de Bel Deo Babilonis, quem Daniel destruxit, ut patet Daniel 14 et de Dagon Deo Philistinorum, quem [105a] * Arca Domini manibus et pedibus truncavit et corruere in faciem suam fecit, ut patet 1 Regum 5. Pro Deo dicas mihi, quam, vel qualem per se notitiam potuerunt isti, et ceteri consimiles habere de esse Deorum suorum, quos videbant tam turpiter tractatos. Ad secundum dicendum quod minor peccat per fallaciam divisionis. Nullo enim existente imperatore, adhuc tamen ista est vera, imperator est honorandus. Tamen non licet inferre divisim, ergo imperator est, quia, cum hoc participium honorandus sit futuri temporis, ad veritatem totius propositionis determinatae per hoc futurum participium, sufficit imperatorem, quamvis nondum natum, esse futurum, cui de iure sit honor exhibendus. SED FORTE dices quod ex coniunctis licet inferre divisim et universaliter quandocunque hoc verbum est praedicatur tertio adiacens, licet inferre absolute hoc verbum est prout praedicatur secundo adiacens, quando nulla conditio distrahens apponitur in composito. Sed venerari non est conditio distrahens, immo est augens dignitatem, ergo bona esse videtur illatio praedicta. RESPONDEO, quod licet veneratio non sit quid distrahens, tamen futurum, ut futurum respectu praesentis est distrahens, cum ergo venerandus sit participium futuri temporis, ideo implicat conditionem distrahentem. Unde, licet venire non sit distrahens, venturum tamen est distrahens respectu praesentis, unde non sequitur, rex est venturus, ergo rex est. Ad tertium dicendum quid ibi aequivocatur, quia maior est vera, loquendo de quid rei, sed minor de quid nominis, quaerunt enim quid importetur hoc nomine Deus.

QUANTUM ad quartum principale est advertendum quod res tripliciter potest cognosci. Uno modo, cognitione valde confusa. Alio modo, cognitione distincta et determinata. Tertio, cognitione media, puta nec nimis confusa, nec nimis determinata. Et haec media cognitio dicitur cognitio per vestigium. Vestigium enim Socratis alicui materiae impraesum, non solum ducit in cognitionem eius confusam, puta in cognitionem generis, qua cognoscitur esse substantia, corpus vel animal; nec ducit in cognitionem eius ultimate determinatam, qua cognoscitur esse Socrates, sed ducit in cognitionem mediam, scilicet in cognitionem specificam, qua cognoscitur

esse homo. Cognitione vero imaginis, seu faciei cognoscitur Socrates, non solum ut homo est, verumetiam ut Socrates est, puta cognitione determinata. Haec ergo, ad divina transferendo, est iterum advertendum quod in divinis sunt aliqua personarum divinarum propria, puta paternitas, filiatio et processio. Aliqua sic sunt communia, quod nulli personae sunt appropriata, puta essentia, esse, vel existentia. Aliqua sunt communia, tamen personis appropriata, puta potentia, sapientia, bonitas seu clementia, licet enim ista tria sint communia et essentialia, tamen Patri appropriator potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas seu clementia. Cum ergo divinarum personarum trinitas cognoscitur quantum ad supra dicta propria, quia huiusmodi notitia est magis determinata et distincta, non dicitur, ut sic Deus cognosci per vestigium, sed magis per imaginem, de qua imagine dicitur in sequenti quaestione. Si etiam Deus cognoscitur quantum ad simpliciter communia nulli personae appropriata, nec ut sic cognoscitur Deus per vestigium, eo quod talis cognitio sit quasi generalis et confusa. Si autem quantum ad communia appropriata hic in via existentes consideramus ipsum Deum, attendentes quod patris potentia omnia produxit in mensura, Filii sapientia in numero, Spiritus Sancti bonitas in pondere, iuxta quod ait ille sapiens ipsi Deo: *Omnia constituisti in numero, pondere et mensura*; sic Deum ex creaturis cognoscimus per vestigium. Unde illud vestigium summae trinitatis attendens Beatus Augustinus 6 De Trinitate²⁵ sic ait: *Oportet ergo, ut creatorem [105b] * per ea, quae facta sunt intellectu conspicientes trinitatem intelligamus, cuius in creatura quomodo dignum est apparet vestigium*. Illum autem vestigium, quod sapiens appellat *mensuram, numerum et pondus*, Beatus Augustinus 4 Super Genesim²⁶ appellat *modum, speciem et ordinem*, ita quod modus secundum eum correspondet mensurae, species numero, et ordo ponderi. Horum autem ulteriorem prosecutionem discreto lectori causa brevitatis committo. AD ARGUMENTUM principale in oppositum patet per distinctionem superius positam in tertio articulo. Etiam posset dici, quod maior non est vera, quia prima principia cognoscuntur per aliud, puta per terminos via sensus, memoriae et experientiae. Tamen naturaliter sunt intellectui inserta et nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Et sic patet quod maior est falsa.

Pulchra subdivisio secundae particulae principalis huius distinctionis, in qua Magister peculiariter divinae essentiae unitatem, divinarumque personarum trinitatem, ex creaturae intellectualis et rationalis imagine nititur comprobare.

NUNC VERO AD EAM etc. Postquam Magister trinitatem divinarum personarum investigavit per vestigium in creaturis repertum. In ista parte simul unitatem essentiae et trinitatem personarum nititur ostendere ex creaturae intellectualis et rationalis imagine. Ubi est advertendum quod imago Dei dupliciter fundatur in anima. Uno modo, super potentiis. Alio modo, super habitibus. Et secundum hoc Magister duo facit, quia primo declarat divinae essentiae unitatem et personarum trinitatem per imaginem fundatam in potentiis. Secundo, per imaginem fundatam in habitibus, ibi: *Potest etiam alio modo*. Prima in duas, quia primo ostendit istius creatae imaginis ad Deum aliqualem similitudinem. Secundo ostendit eiusdem imaginis ad Deum magnam dissimilitudinem, ibi: *Verumtamen caveat* etc. Prima dividitur in duas partes, quia primo, assignando partes imaginis, ostendit earum ad invicem aequalitatem. Secundo, declarando quoddam dictum, ostendit illarum partium stabilitatem, ibi: *Hic attendendum est*. Tunc sequitur illa pars. Potest etiam alio modo, ubi loquitur de imagine fundata super habitibus et dividitur in duas partes, quia primo ponit huius imaginis descriptionem. Secundo ostendit

²⁵ Cap. 10 tom. 3

²⁶ Cap. 3 tom. 3

quod per talis imaginis considerationem possumus consurgere ad sanctae trinitatis contemplationem, ibi: *Mens itaque*, etc. Hic quaero hanc quaestionem. [106a] *